



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustæ Vindelic., 1727

Dominica infrà Octavam Nativitatis Dominicæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Dominica infr. Oct. Nativ. Dom. II

celsitudinem sterneret mundi, ait Hugo Victorin.

Instructio meritoria.

Exultabunt ossa humiliata! exerceamus nos usque ad solemnia festa in variis tum humilitatis, tum abstinentiæ, tum vigiliarum, aut sacri rigoris corporalis operibus, quorum licentiam petamus à Patre spirituali. Gaudium verò nostrum ut sit plenum, quotidie novies canticum *Magnificat* dicamus, & quidem in honorem novem Mensium, quibus B. Virgo Unigenitum Dei portavit in virgineo utero, & hoc est parare viam Domini: Hoc est videre salutare Dei.

Dominica Infrà Octavam Nativitatis Dominicæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! miremur ex hodierno Evangelio Annæ Prophetissæ in Dei servicio fervorem, & constantiam; etiam post octoginta duos annos *non discedebat de templo*. Multos annos desideramus,

A 6

eósque

eósque semper fortunatos ? properemus
ad domum Dei : In Ecclesia invenie-
mus.

Instructio meritoria.

O nos felices, quibus datum toties in
templo agere cum Deo ! agnoscamus
gratiam, & summâ oculorum modestiâ,
morum gravitate, & arctâ taciturnitate
hodiernis horis intersimus Canonicis.
Et ne quid in oculis Dei indecentius
committatur ab aliis, oremus *quinde-
cim Pater & Ave* cum psalmo : *Letatus
sum in his, quæ dicta sunt mihi &c.*
Deus nos videt.

II.

O Quanta erant Mariæ gaudia, dum
Jesum ab Angelis mundo annun-
tium, & à Magis adoratum vidit, &
exosculata est. At Cor Mariæ immuta-
tum est, dum hodie audit : *Tuam ipsius
animam pertransibit gladius.* Adeò
nulla est hujus vitæ ab adversis securitas !

Instructio meritoria.

Compatiamur Matri Amabilissimæ, &
in contestationem filialis compassionis
sub-

subjungamus planctum dolorosum :
Stabat Mater dolorosa. Amor aut fa-
cit, aut invenit similes. Maria ! nec
tu, nec ego sine vulnere.

III.

Jesus crescebat sapientiâ, & gratiâ.
Annos habemus, mi fili ! sed quid
sunt illi sine meritis, sine virtutibus, &
bonis operibus ? vivere oportet, non,
ut comedamus, bibamus, tripudiemus
&c. sed ut in spiritu, gratiâ, & omni
sanctitate, & justitia quotidie proficia-
mus. Sic Jesus jubet, sic & propria ur-
get conscientia.

Instructio meritoria.

Discamus invigilare tempori, nosque
longioribus interdum subtrahere recrea-
tionibus. Horam dein subtractam vel
in ecclesia, vel in cubiculo piis lectioni-
bus, devotis orationibus, aut medita-
tionibus impendamus ardentissimis. In
honorem totius ætatis Christi 33. *Pater*
& *Ave* addamus cum psalmo : *Benedic*
anima mea Domino, & omnia, qua in-

14 Dominica quæ & Vigil. Epiph.
*trame sunt, nomini sancto ejus. Anni
crescunt pietate.*

Dominica quæ & Vigilia
SS. Epiphaniæ.

EXHÖRTATIUNCULA I.

ECce! defunctus est Herodes. O si
id recogitasset antea, non in tan-
tam incidisset tyrannidem! Amice! ut
in officio boni Christiani, aut sanctioris
Religiosi contineatur, discat quotidie
mori.

Instructio meritoria.

A manè & nocte pro omnibus defun-
ctis, ut constantem nobis impetrent
mortis memoriam, recitemus quotidie
psalmum *Miserere cum De profundis*. Et
si cœmeterium quoddam in vicinia, sin-
gulis diebûs ibi sepultos aquâ lustrali
consolemur, & dicamus: *Te ergo qua-
sumus Domine Jesu! tuis famulis sub-
veni, quos pretioso sanguine redemisti.*

II.

AH! quid hoc? fugere debent cum
Jesulo Maria, & Joseph. Fugere,
quia